UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Ecclesiastici Cæsaris Baronii S. R. E. Card.

[Liber I-VI]

Baronio, Cesare

Romæ, 1636

Eminentissimo, Ac Reverendiss. Principi Francisco Card. Barberino S.R.E. Vicecancellario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-65044

Visual Library

EMINENTISSIMO,
AC REVERENDISS.
PRINCIPI
FRANCISCO
CARD.
BARBERINO
S.R.E. VICECANCELLARIO.

Ludouicus Aurelius. F.

POST Patrui ter Maximi imploratum à me, eo non dedignante, Patrocinium, tua quoque publicis dicata curis tempora Interpello, Franciſce Cardinalis Eminentiſſime. iſtud enim, quod in te viget benemerendi ſtudium ſingulare: effuſa iſta in omne genus hominum beneficentia: aurea iſta humanitatis, ne accedentium obtutus per-

ſtringantur, obtenta veluti nubes Maieſtati, ſpem mihi fecere certiſſimam fore, vt eo, quo ſupplices reliquos ſoles, vultu, hoc eſt ſereno, ac benigna luce perfuſo, Opuſculum excipias meum, in quo illud vnum fortaſſe non improbabis, quod, dum ex ampliſſimis Baronij voluminibus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ veluti ſuccum exprimo, Te, tuaſque Apes conſilij Duces ſequutus ſim; quam enim illæ, in delibanda è florum amœnitate roris anima, ſolertiam oſtendunt, vſque adeò Tu in deligenda è Scriptorum monumentis ſacræ profanæque eruditionis varietate æmularis, vt non magis ſplendidè Auito in Stemmate mellis opifices, quam verè Tuo in pectore artifices ſapientiæ Apes eniteant. Vale.

In Epitomen Annalium Eccleſiaſt. Cæſaris Card. Baronij

à Ludouico Aurelio confectam

ALEXANDER DONATVS SOCIET. IESV.

Magnorum qui parua operũ compendia promis
Nomina vis famæ promere magna tuæ.
Eſt tibi Dux Cæſar veteris qui cognitor æui,
Poſtera manſuro lumine ſæcla replet.
Nec plura ille tamen per longa volumina Princeps
Edidit, AVRELI quam breue cogit opus.
Mirus vterque, prior magnis docet omnia, paruis
Tu quoque non impar dicere cuncta potes.

HIERONYMI PETRVCCII SOCIET. IESV

De Baron. Epitome à Lud. Aurelio perfecta Iudicium.

Dædala condiderat Mundũ Sapiẽtia: Mundus
Alter ab exiguo puluere natus Homo eſt.
Hic minor; at maioris habens compendia Mundi,
Gratior Artifici, nobiliorque fuit.
Ingens in lucem duodena volumina Cæſar
Quæ dedit, Hiſtoria quid niſi Mundus erant?
Contrahit immenſos Opifex Aurelius orbes,
Grandiaque exiguo in corpore ſenſa ligat.
Eſt liber hic idem, qui Cæſaris ante; ſed idem
Mole minor, verum pondere maior erit.

FOE-

FOELICIS VERDVCCIOLI PERVSINI

Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ Doct. & In patrio Gymnaſio Eloquentiæ Profeſſoris.

Ad Eundem Ludouicum Aurelium. Epitome Annalium, Vnius anni labor.

EXceſſura fidem miracula; ſed bona certam
Poſteritas vero diſcat habere fidem.
Non tibi ſors vacuæ dedit ocia ducere vitæ:
Te Toga, clamoſum Te vocat vſque Forum.
Et potes annali Annales breuiare labore?
Dum legis, ac ſcribis, ſe breuis annus agit.
Quo celer ò Curru biſſena volumina curris?
Hoc ſpatio totidem Sol quoque Signa videt.